



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari provenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

IV. De conditionibus eligentium dictum Generalem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

C A P V T I V.

De conditionibus eligentium dictum Generalem.

XXVII.

Intabuitur
tamen nif
debita modis
habetur.

tunc assumi dispensatione, scilicet concessione, aut interpretatione iuris.

XXVIII.

Iam vero occurrebat hic dicendum in particulari de nonnullis conditionibus, quae personam frequentius solent reddere inhabilem ad huiusmodi electionem; ut praecipue sunt, defectus natalium quoad ortum illegitimum; defectus originis ex radice infecta macula haereticis, apostasie, vel iudaismi, aut alterius sectae damnatae, & infamia. Sed de his omnibus dixi late in materia de Irregular. disp. 43. 48. 50. neque hic aliquid novum notatu dignum occurrit: nisi hoc solum, quod esse illegitimum impedit iure communi, iuxta cap. 1. de filiis Presbyter. ex quo plane habetur, etiam post professionem religionis durare hoc impedimentum. An vero per Superiorem religionis dispensari possit, consulenda sunt specialia privilegia, nam iure communi non potest: de quo infra ad cap. 12. non nihil attingemus. Secundum autem defectum non consistit impedire ex vi solius iuris communis, & ideo specialia iura religionum, vel Provinciae consideranda sunt, & servanda. De tertia glossa in dict. c. 1. in 1. verbo, Non ascendat, dicit, infamiam non impedire Abbatis Praelationem: citat. c. accedens. d. 50. ubi Saturninus quidam Presbyter, qui pro crimine ad sacerdotij ordine erat deiectus, sollicitudinem de monasterijs gerere, & in eodem statu manere permittitur, sed si infamia talis sit, quae reddat personam irregularem ad sacerdotium, consequenter impedit hanc Praelationem, ut dictum est, quia coniuncta est cum ordine sacerdotali: decretum autem illud Gregorij procedit iuxta antiquum ius, in quo Abbates esse poterant non ordinati; & ideo irregularis ad ordines per se non impedit Praelationem, nisi in casibus expressis. Eo vel maxime, quod non constet Saturninum illum fuisse Abbatem: imo verisimilius est tantum habuisse ministerium temporale, seu procuracionem quorundam monasteriorum, ut bene exponit Turrecremata ibi. Qui censet, etiam eo tempore non potuisse irregularem ad sacerdotium, esse Abbatem, quia non posset curam animarum monachorum exercere. Ex illo quidem textu aliud non colligitur, ut bene ipse explicat: tamen ratio eius non cogit, quia tempore Gregorij poterat esse Abbas sine ordinibus sacris, ut supra cap. 1. num. 3. ostensum est ex Dialogo. cap. 4. & alijs testimonijs. Nihilominus verisimilius est, infamiam secundum ius Canonum nunquam potuisse esse Abbatem, quia id est valde indecens, & repugnans tali muneri. nunc autem multo certius id est, quando hac est propria spiritualis Praelatio. Sed de hac infamia videnda sunt, quae late tradidimus in fine quinti tom. disp. 48.

Hactenus dictum est de conditionibus requisitis ex parte eligendi: nunc dicendum secundo loco superest de eligentibus, quod brevius expediri potest. Primo enim dicendum est, electionem hanc pertinere ad ipsammet religionem, nam secundum commune ius eligere Praelatum alicuius congregationis, ad ipsam congregationem spectat, c. 1. de Electione, & cap. 2. 3. 4. & sequentibus, 18. q. 2. ubi specialiter de monachis agitur: & sicut statuitur, ut Abbas de eadem congregatione eligatur, ita etiam quod ab eadem congregatione. Atque hoc ius commune maxime receptum est in omnibus religionibus secundum iura specialia quoad supremam Praelationem totius religionis, quia in illa erat moraliter necessaria electio, ut supra ostendi c. praeced. num. 2. non erat autem expediens ut esset ab externis, ut per se notum est. Quid autem requiratur, ut haec congregatio ad hunc finem, seu effectum legitima sit, maxime attendendum est ex conditionibus requisitis in singulis eligentibus, de quibus statim, & in authentica, ac sufficiente eorum convocatione, quae maxime pender ex propria institutione, & modo singularum religionum. Nam in unaquaque debet convocatio fieri ab eo, qui ad illud munus deputatus est, auctoritatemque habet ab ipsa religione, & similiter convocandi sunt omnes etiam, qui iuxta statuta universaliusque religionis suffragium in illa habere possunt.

I.
Prima assump-
tio seu con-
ditio, ut eli-
gentes sint
de ipsa Re-
ligione.

II.

Secundo dicendum est, huiusmodi eligentes debere esse professos eiusdem religionis, non tamen esse necessarium, ut sint expresse professi. Prior pars certa est ex eisdem iuribus citatis 18. q. 2. ubi monachis committitur sui Abbatis electio, *Quem sibi* (ait Gregorius ibi cap. 5.) *propria voluntate con- siliis fratrum societas elegerit*: nomine autem fratrum intelliguntur, qui iam per professionem facti sunt religiosi. Expressum vero ius est in cap. ex eo. §. in Ecclesijs. de Elect. in 6. & in cap. indemnitate, idem circa electionem monialium praecipitur, ubi glossa & Doctores conveniunt. Denique ita habet omnium religionum consuetudo. Ratio etiam id exigit, quia novitius non est verum membrum illius corporis: ergo nec ius eligendi habere potest. Praeterea rationes fere omnes, propter quas novitius non potest eligi in Abbatem, probant non posse eligere. De quibus videri potest cap. cum in magistrum, de Electione, scilicet quia non debet esse prius magister, quam discipulus; & quia novitius non satis est expertus religionem, nec potest habere sufficientem notitiam personarum. Alteram partem docet expresse glossa in cap. nullus & in cap. ex eo. verb. Tacite, & cap. indemnitate, verb. Tacite, de Elect. in 6. & probatur sufficienter ex dictis iuribus: nam in primo solum postulat expressa professio in eligendo; tacetur autem de electore; ius autem novum non mutat, vel limitat antiquum, nisi in eo, quod exprimit: in alijs vero iuribus expresse requiritur sub distinctione professio tacita, vel expressa: ergo quaelibet earum sufficit. Ratio autem est, quia utraque est vera professio. Dices, Cur potius in eligendo, quam in electore requiritur, quod professio fuerit expressa? Respondetur, hoc pendere ex iure positivo, & ideo voluntatem legislatoris esse nobis pro sufficienti ratione: illum autem movere potuit, quia plus multo est eligi in Praelatum, quam eligere, ideoque plures condiciones in eo requiruntur. Item, quia, ut quis habeat ius eligendi, satis est, quod vere ac

Secunda as-
sumptio, ut
sint de ipsa
religione, ut
sint professi.

Dubium ex-
plicatur.

substantialiter sit membrum communitatis, seu religionis; quod non minus tenetur perpetuo obedire Prelato; quam reliqui; hunc autem statum tam vere ac proprie habet per professionem tacitam, sicut per expressam; vt autem eligatur in caput, id satis non est; propter alias rationes superius allatas.

III.

Tertio dicendum est, necessarium esse, vt electores sint clerici, & in sacris constituti. Prior pars probari potest ex dict. cap. ex eo. §. in Ecl. sive de Elect. in 6. ibi, *conuersi laicorum clerici electionibus inter se non debent* (scilicet in Ecl. sive regularibus, vel monachis). circa illa autem verba aduertit glossa, ex vi illorum non excludi monachos professos, etiam non ordinatos, si ad ordines tendant, quia illi non vocantur *conuersi*, sed propriissime monachi. vnde quauis pro tunc sint laici, id est, nondum clerici ordinati, nihilominus non possunt dici *conuersi laici*; non ergo sub illis verbis comprehenduntur. Et ad hoc confirmandum refert varia iura, quae solum probant, per nomen *monachi* comprehendi fratres non clericos; quod satis à nobis est in superioribus confirmatum. Imo iuxta morem antiquum, etiam si nunquam ordinati essent, *monachi* vocabantur: quin etiam nunc existimo interdum accipi hanc vocem in tam lata significatione, vt conuersos vere professos comprehendat, c. *canonica*. de sent. excommunicat. At vero è contrario nomen *conuersi* re vera non solet attribui monachis ex eo tantum, quod ordinati non sint, sed ex eo, quod sunt in gradu, in quo ad ordines non deputantur, licet sint vere religiosi, Geminianus in c. *exceptionem*; de privilegijs, in 6. & alij communiter. Quocirca stando in proprietate dictorum verborum, videtur vera sententia glossae, quam sumpsit ex Innocentio in c. 2. de institutionibus; & idem sentiunt Abbas, cap. 1. de Procuratoribus, n. 9. Felinus in cap. non dubium. de sent. excomm. n. 3. vertic. *Secunda conclusio*. Dicit vero aliquis, saltem praesuppositiue colligi hanc partem ex illo textu, quatenus dicit, conuersos laicos non esse admittendos ad electionem simul cum clericis: supponere enim videtur faciendam esse à clericis. Sed hoc etiam non cogit, nam licet supponatur, vbi sunt clerici faciendam esse ab illis; non tamen à solis illis: nam, si hoc supponeret, non oporteret decretum facere de excludendis conuersis laicis: vnde potius retorqueri potest argumentum in contrarium, colligendo ab speciali, vel ex illo principio, quod *exceptio fit à generali in contrarium*, nam ibi Pontifex volens excludere eos, qui cum clericis admittendi non sunt ad electionem, solum excludit conuersos laicos: ergo virtute admittit omnes alios professos, qui monachi sunt, & non tantum conuersi. Et inter eos potest optima ratio differentiae assignari: nam alij religiosi, quauis non sint ordinati, possunt esse literati, & maiorem rerum notitiam habere, quae ad huiusmodi electionem solet esse necessaria.

IV.

Igitur ex antiquo iure nihil inuenio, quod illam priorem partem sufficienter probet: imo Innocentius supra aperte dicit, ius eligendi cadere in monachum laicum. Et idem sentit Panormit. cap. 2. de Institutionibus n. 5. Quorum sententia maxime procedit secundum ius antiquum, quando monachi, etiam ipsi Abbates, erant laici, tunc enim clarum est, electionem Abbatum potuisse fieri à monachis laicis, etiam si inter eos essent aliqui clerici; quia hoc erat accidentarium; & quia per talem electionem non conferebatur iurisdictio spiritualis, vt supra declarauimus. Nunc autem quando Abbas religionis est proprius Prelatus, & iurisditionem spirituales habet, videtur ex alio principio requiri, vt eligentes omnes, clerici sint, quia ius eligendi ad huiusmodi Praelationes non cadit in laicum, vt di-

citur in c. *sacrosancta*. & c. *Massana*, de Electione. Et quauis illi textus possint intelligi de laicis omnino secularibus, quia in casibus illorum textuum de illis erat sermo, & rationes etiam ad illos maxime pertinent; nihilominus cum hac electio munus quoddam spirituale sit, videtur satis probabile, regulam ipsam extendendam esse ad omnes laicos. Quia, vt supra notauimus, & initio materiae de Censuris, cum iura dicunt, spirituales administrationem, vel electionem non esse committendam laicis, laicorum nomine comprehenduntur etiam religiosi non ordinati: ergo, cum hac electio sit aliquo modo actus iurisditionis, vel saltem administrationis spiritualis, videtur ab illa excludendi omnes laici quantumuis monachi sint. Et consequenter posset probabiliter sustineri, ad eos etiam extendi dict. cap. ex eo. nam, licet conuersorum nomine in rigore non veniant monachi, nihilominus quae negantur conuersis, non quia conuersi sunt, sed quia laici sunt, videntur consequenter negari etiam laicis; huiusmodi autem videtur esse in praesenti actus eligendi spirituales Prelatum: non enim negatur conuersis eo, quod ad inferiora, & temporalia officia sint destinati; id enim humilitati religiosae consentaneum non esset, nec solum vel praecipue quia non sunt literati, quia hoc ex se non obstat huiusmodi electionibus, sed maxime necessaria est prudentia, & experientia, quae in his conuersis saepe non est, & multis clericis deesse potest, imo & scientia, seu doctrina. Negatur ergo, quia laici sunt, haec enim est proprie & per se causa, quam ius debet attendere: ergo quoad hoc comprehenduntur omnes religiosi, seu monachi, qui laici sunt.

Certius autem probatur illa prior pars simul cum posteriori ex Clement. vii, de stat. & qual. vbi Pontifex statuit, *Nullus de cetero in Ecclesia Cathedralibus, vel collegiatis secularibus, vel regularibus vocem in Capitulo habeat, etiam si hoc sit ab alio libere concedatur, nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerit constitutus*. Quod decretum comprehendit sine dubio monasteria regularium, qui ad diuina officia destinati sunt; & eorum Capitula, vt ex ipso textu constat, & ex omnium expositione. Vnde fit à fortiori comprehendendi sub hac lege capitula Prouincialia, vel Generalia talium religionum: nam, si particulars Conuentus est proprium regulare collegium, ratione cuius talis Ecclesia collegiata dicitur, multo magis tota prouincia, vel tota religio constituitur Collegium, cuius Capitulum in hac decisione comprehendatur. Deinde, per hoc decretum excluduntur omnes non ordinati in sacris, ne vocem in Capitulo habeant, & consequenter ne possint eligere: nam haec est vna, & forte potissima ex his vocibus, quae haberi possunt in Capitulo. Loquitur autem specialiter illa lex (quantum ad nostrum propositum nunc spectat) de proprijs monachis, seu religiosi, qui ad diuina officia sunt destinati, quique ex vi sui gradus debent ad sacros ordines promoueri, vt patet ex principio, & extraneis illius textus; *Viij. qui diuini officij sunt mancipati, vel mancipabuntur in posterum, ad suscipiendos sacros ordines proprijs inducantur, &c.* Vnde colligit Panormitanus, ex vi illius textus non excludi à Capitulo conuersos, quia illi non sunt diuinis officijs destinati; sed ad nostram praesentem questionem id non refert, quia non agimus de priuatione vocis in Capitulo quoad omnes actus, sed solum quoad electionem, à qua iam supponuntur exclusi conuersi ex alio capite.

Inquirunt autem ibi glossa & Doctores duo, quid breuiter expedire necessarium est. Primum est, Quid si aliquis non erat ordinatus in sacris tempore vacationis, tempore autem electionis iam ordinatus fuerit? Respondetur, posse habere suffragium, quia ille est ha-

Instantia
remouetur.

Vnde nunc
sua uis pos-
sit.

est habilis tempore electionis, & hoc sufficit: nec enim in illo capite postulat, ut ante vacationem sit ordinatus, sed solum, ut non admittatur in Capitulum nisi sit ordinatus: quod varijs iurib. confirmant glossa & Panormitanus ibi. Sed ratio facta, est sufficiens. Ob quam etiam, si quis non esset professus tempore vacationis, tempore autem electionis iam esset professus, posset, & deberet ad electionem admitti, quantum est ex hoc capite: quia nullo iure statutum est, ut professio antecedeat vacationem, neque etiam quod professio debeat antecedere electionem certo aliquo tempore; sed solum quod facta sit, ut patet ex dict. c. ex eo.

VII.
Secundum
dubium cui
per legem
dubium sit
iuris.
Primum
necesse est
distingui.

VII.
dubium
necesse est
distingui.

VII.
Primum
dubium
capituli
vacationis
notandum.

VIII. Tandem quæri hic potest, an hæc conditio sit de substantia electionis, ita ut suffragium datum à non ordinato in sacris, nullum sit, vel solum sit prohibitum. Sed hoc nullam habet dubitationem, si illa verba expendantur, Nullos vocem in capitulo habere, nisi, &c. nam illa verba non solum prohibent, sed etiam tollunt omnem facultatem & potestatem, ideoque non est dubium, quin tale suffragium nullum sit, quia persona est inhabilis ad illud ferendum. Quod non solum est verum, quando ipsa persona per fraudem se ingerit, sed etiam, si à toto Capitulo admittatur, ut ibi glossa nota-

uit, verb. Concedatur, & verbo, Nullo modo. Et probatur sufficienter ex verbis illis textus, etiam si hoc sit ab alijs libere concedatur, quia per hæc verba irritatur talis concessio, quandoquidem ea non obstante, alius remanet sine voce in Capitulo ex vi illius legis. Imo addit glossa ibi, neque Episcopum posse in hoc dispensare, quod verissimum credo; sed id omitto, quia in presenti casu nunquam potest occurrere necessitas talis dispensationis; & eadem ratione omitto casum alium, si contingeret nullum esse ordinatum in sacris: nam in presenti contingere non potest, agimus enim de religionibus monachorum, & clericorum prout nunc sunt in usu Ecclesiæ: nam si quæ sit religio mere laicorum, ut potest esse militaris, vel hospitalaris, & in illa fiat electio, non esset necessaria hæc conditio, ut omnes Doctores aduertunt in dict. cap. ex eo. & dicta Clement. de etat. & qual. & ex ipsius iuribus satis colligitur.

Excipere
potest
laicorum
pura
laicorum.

Quarta conditio generalis assignari potest, ut elector non sit per excommunicationem, vel aliam similem censuram, aut Ecclesiasticam inhabilitatem suspensus à munere eligendi, quod generale est omnibus electionibus Ecclesiasticis, de qua in disp. 14. de censur. sect. 2. a. num. 6. & ideo illam omitto. Videri potest Abbas in cap. illa quotidiana. n. 7. & in cap. Cum ana. in fin. de Elect. & in cap. ult. de Procuratorib. num. 3. ubi late tractat aliam questionem, an inhabilitas vnius electoris reddat nullam totam electionem; vel sustineatur propter habiles, quæ etiam generalis est, & ideo illam omitto. Pro regula enim tenendum est, ut per inusile non vitari; & ita in presenti inhabilitatem vnius, vel alterius non nocere, quando alij non consenserunt, nec voluntarie admiserunt excommunicationem, vel aliam similem, cuius defectum supplere non poterant, tunc enim conspiratio illa reddet vitiosam totam electionem, non vero priuata malitia vnius. Et ita cessat nunc questio, quam late tractant Innoc. Ioan. Andr. Panormit. & alij dictis locis, si excommunicatus sit occultus, an possit, ratione illius, irritari electio: nam hodie facile hoc expeditur, iuxta Extrauag. Ad cuiusmodi, quæ nullum fauorem concedit excommunicato, concedit autem alijs ne illum vitare teneantur. Et ideo ille semper peccat, se ingerendo ad electionem: alij vero non peccant illum non reprehendendo, quanuis possint, quia non tenentur illum vitare, aut repellere; & ideo ex hac parte non erit nulla electio.

IX.

Quarta as-
sert. v. n. n. l.
im elector
sit censura-
tus.

C A P V T V.

De forma prædictæ electionis Generalis, ubi late exponitur textus & quia propter de Elect.

Tertio loco, ut creatio Prælati valeat, necessarium est, ut debita forma electionis seruetur. Circa quam duo potissimum iura sunt obseruanda, scilicet cap. quia propter, de Electione. nam licet caput illud generalius loquatur, sine dubio comprehendit hanc electionem, de qua modò agimus. Nam, iuxta communem interpretationem, dispositio illius textus habet locum in electionibus Abbatum Ecclesiarum regularium, quæ etiam dicuntur viduata, & sine pastore relinqui, mortuo, vel deficiente Abbate, cap. ne pro defectu, eod. tit. per dispositionem autem dicti cap. quia propter, prouidetur omnibus Ecclesijs viduatis, ut in eodem textu dicitur: ergo comprehendit illa dispositio electionem Abbatum regularium: ergo & in omnibus Prælatibus localibus religionum, qui licet non vocentur Abba-

I.
Ius consue-
tum præfati-
bens formam
eligendi Ec-
clesiasticum
Prælatum
absolutum
sumptuum.